

79. De Curatione pro ætate varianda subjungendum quid erat. Sed veremur Prolixitatem. Medicus ratione magis ductus quam Empyriâ, noverit nec purgantibus nec alterantibus fortioribus ætatem tenellam esse tentandam, multò minus ipsos lactentes, ne mereatur vel Carnificis tamam, iudicio *Mercurialis*; vel Homicidii, exemplo eorum quos habet *Sennertus de M. Inf. p. 2. c. 2. & l. de C. & D. c. 18.*

18. Expulsis ita variolis & M. hi quidem cum resolvantur aliis haud opus habent remediis, nisi ut legitimè regatur æger, ne Materia peccans retrogressa recidivam pariat lethalem. Sed Variolis cum suppurentur variorumque Morborum causæ fiant & symptomatum, nisi rectè tractentur, porrò prospiciendum. Quemadmodum autem partium, quibus maximè infestæ sunt & noxiæ, præservationi omnium primò studuimus, ita si vel per negligentiam, vel præter adhibitam industriam occupatæ sint sedes illæ, non minus iisdem curiosè providebimus.

81. *Internæ* partes si obsideri cognoscantur, illa Remedia locum hic invenient quæ in partium earundem inflammationibus, ea tamèn Cautelâ, ut Malignitatis semper habeatur ratio.

82. *Externæ*, Fauces, Nares, Oculi, uti frequentius Injuriis his exponuntur, ita reguntur etiam commodius, cum M. Topicis illarum vitia queant mitigari.

83. Ubi itaque Repellentibus non amplius est Locus, *Fauces* eluantur Gargarismis anodynis, discutientibus, suppurantibus quæ ex Practicorum libris de Aphtharum Curatione petantur. *Narium* Isthmi obstructi cum Respirationem intercipient, dilatentur emollientibus *Lacte, Ol. Amygd. d. Ungv. pomato.* Oculi qui maxime periclitantur, si non præmuniti sint adstringentibus, diligenter juvandi discutientibus & Anodynis. Inter illa maxime commendantur *Sanguis recens Columbarum, Camphora, Myrrha*, quam dolores pruriginolos oculis infestissimos discutiendo magnopere tollere scribit *Mercurialis*. Inter hæc *Lac Muliebre, Pulpa pomorum assat. Mucilag. Sem. Fœnuigr. Crocus.*